AUGUSTINI BUCCII TAURINENS. ACAD. PHILOSOPHI ET MED. ... IN SEBASTIANI...

Agostino Bucci

Google

SERENISSIMO
PORTVGALLIAE
REGI HENRICO
EIVS NOMINIS PRIMO

In ſummo orbis terrarum conſilio Senatori
S. R. E. Cardinali
Auguſtinus Buccius Felicitatem.

TANTA eſt, Sereniſs. Rex: de tua prudentia, & conſtantia, cœteriſque virtutibus apud omnes opinio, vt Sereniſſimi Sebaſtiani Regis olim pijſſimi, nepotis tui ex fratre laudationem, Ducis mei iuſſu à me in eius funere habitam, quæ cœteris alioqui hominibus, graue recensque vulnus refricatura fuiſſet, tibi dicare veritus non fuerim. Vt enim in ſapientis animo diutius nullus hærere poteſt dolor: Ita te & propria virtute, & longo rerum vſu edoctum, humana omnia modicè ferre omnes ſibi certò perſuadent. Ceterū ſi aliquis, hac lectione ſenſus in alijs excitabitur, non erit is omnino infructuoſus. Siquidem dum veras defunctorum laudes, quæ præſertim excellentem adiunctam habent pietatem, concione cōmemoramus, propinquis quidem gratum ſolamen, cæteris vero omnibus vtile exemplum ad imitandum proponimus. Tu pro ſingulari tua, verèque Regia humanitate exiguum hoc mei erga te obſeruantiæ monimentum benignè excipito, meque in tuorū clientum albo deinceps connumerato. Valeat, agatque fœliciter omnia Maieſtas tua. Ex Auguſta Taurinorum Quarto Cal. Ianuarij.

M. D. LXXIX.

V*ETVSTISSIMVS iſte funebris pompæ & concionis ritus, Sereniſſime Princeps, & ſi honorificæ quadam virtutis, meritorumque opinione in clarorum quorumcunque hominum exequijs ſeruari ſoleat, eò tamen Principibus viris iuſtius tribui mihi ſemper viſus eſt, quò illorum virtutes & facta magnitudine & vtilitate cæteris omnibus antecellunt. Vna enim virtutum omniũ Princeps Iuſtitia, quæ in priuatis alioqui hominibus clara eſt, in Principibus, qui ſummam habent iuris conſtituendi, & adminiſtrandi poteſtatẽ, illuſtriſſima, ac prope diuina apparebit. Maior præterea ex Principum, quàm ex priuatorum virtutibus Reip. accedit vtilitas. Nam præterquàm quòd opibus & potentia præſtant, illorum quoque virtutes & facta, non ad priuatas domos, aut familias, ſed ad Vrbium, Prouinciarum, Regnorumque ſalutem ſiue acquirendam ſiue conſeruandam ſpectant. Porrò vt piũ æquumque eſt, optimos quoſque Principes vita functos funebri proſequi laudatione, tum verò pijſſimum, æquiſſimumque ſemper fuit, eos maximè funere decorare, qui in bello Religionis, Patriæ, Iuſtitiæ ve cauſa ſuſcepto fortiter dimicantes cecidiſſent. Quod SEBASTIANO Luſitaniæ olim, remotiſſimarumque noui orbis Prouinciarum & Inſularum Regi optimo atque Magnanimo, ſuperioribus diebus aduerſus Mauritanos fœliciori propoſito, quam exitu prœlianti contigit. Cuius laudationem mihi prò ſingulari tua in eum pietate, arctiſſimoque cognationis vinculo, demandatam, eò libentius proſequar, quo certò ſcio, me non fictis, ſimulatis ve (quod apud veteres uefas erat) ſed veris laudibus, non qualis eſſe debuiſſet, ſed qualis fuerit, Regem illum celebraturum: Veſtræ humanitatis erit (Principes Sereniſſ.) mihi de illius Regis uobis & ſanguine & beneuolentia coniunctiſſimi multis, magniſque, virtutibus, breuiſſimè, vt intra huius temporis quo litandum eſt, anguſtias dicere liceat differenti, benignas attentaſque aures præbere. Vt enim maiorum laudes ad poſteros iure quodam hæreditario pertinent, ita Regij Luſitanici ſanguinis ſplendor, à quo tu, Eman. Philiberte, maternũ genus ducis, in te, tanquam in ſpeculo diffuſus radius quodammodo refulgebit:*

Initium autem dicendi non aliunde faciam, quàm à Nobilitate, quæ generis virtus eſt cum uetuſtate coniuncta. Quæ & ſi maiorum tota ferè eſt, quia tamen poſteris ſtimulus eſſe ſolet, ad illorum virtutes & facta ſiue æqu anda, ſiue ſuperanda, ad uitæ rationem aut ineundam, aut retinendam plurimum ſemper fecit, atque in poſterum faciet. Hæc igitur in eo talis, tantaque fuit, ut meritò ſic cum omnibus, quæ Regia dignitate fulgent gentibus, uetuſtate, titulis, triumphis, rebuſque præclarè geſtis conferenda. Quæ omnia, vetereſque cum Sabaudis Principibus, maioribus tuis, tertiò iam confirmatas affinita-

tes, longa Regum ſerie repetere deſinam, ſola Emanuelis inuictiſsimi illius Regis, Sebaſtiani proaui, tuique per Beatricem filiam Aui materni, cuius gratia (Principes) glorioſum illud vobis nomen inditum eſt, commemoratione contentus. Cuius auſpicijs præterquàm quòd nauigationis palma omnibus nationibus per Luſitanos præerepta videtur, multa quoque in orientalibus Indię finibus regiones Auri, Gemmarum, Aromatumque ditiſsimæ exploratæ, detectæ, ac ſub eius imperium redactæ fuere, multi, nouique portus, atque vrbes extructæ, multa de ferociſsimis hoſtibus, indomitiſque nationibus parua militum manu victoria parta, ac quod omnium auguſtiſsimum puto, Emanuelis, ſucceſſorumque pietate & ſtudio, in multas noui Orbis prouincias ſacroſancta Chriſtiana Religio longè, lateque propagata penetrauit. Quarę & tempora ea aurea à nonnullis fuerę nuncupata, cum ob diligenter curatum in ijs veri Dei cultum, tum etiam quod fælici quadam ſyderum conuenientia, feracique eius tempeſtatis ſobole, Principes toto terrarum orbe celeberrimi Iulius ij. & Leo X. Pont. max. Maximilianus & Carolus V. Ceſſ. Soleymanus Turcarum, Iſmael Sophi, Perſarum Imperatores, Franciſcus primus Galliæ, Ferdinandus Caſtellæ, & Aragoniæ, Sigiſmundus Poloniæ, Iacobus Scotiæ, Chriſtiernus Daniæ, & Noruegiæ, alijque Italiæ Principes Illuſtriſsimi cum Emanuele Portugalliæ Regę claruerint, ac in eadem ferè tempora inciderint. Hic igitur Emanuel, cum ex Maria Ferdinãdi Regis filia numeroſam octo liberorum prolem, ac inter cęteros Ioannem, Henricum nunc Cardinalem et Regem, Eliſabetam Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici matrem, Beatricemque matrem tuam olim ſanctiſsimas, lectiſsimaſque fœminas ſuſcepiſſet, Regni hæredem & ſucceſſorem reliquit Ioannem X V. eius primogenitum filium. Qui Catherina Caroli V. Sororę in uxorem ducta, ex ea unicum filium habuit Ioannem Portugalliæ Principem. Hic Ioannę eiuſdem Caroli V. filiæ matrimonio iunctus, cum eodem ferè tempore quo pater, immatura morte pręreptus deceſsiſſet, ſummo populorum luctu, ac dolore, cum magna regię prolis expectatione angerentur, uxore grauida relicta, Sebaſtianus Poſthumus tanquam è cælo demiſſus, noui cuiuſdam Syderis inſtar Luſitanis illuxit. Qui cum ex tot, tamque pręclaris Regibus, genus duceret, pręter corporis formam, ex paterno quidem ſanguine animi celſitatem ſecum attulit, ex materno autem pietatem (quę Auſtriacarum fœminam propria hęreditariaque laus eſt) eximiam & ſingularem obtinuit. Hinc uultus perbenignus & grauis, oculorum aſpectus iucundiſsimus, inceſſus Regię dignitatis plenus in Sebaſtiano enituit Ad corporis & fortunę bona, quę à Deo & Natura liberaliter acceperat, animi uirtutes & mores, quibus maximè Regia maieſtas nititur ex ſtudioſa Principis pueri in bonis literis, & moribus inſtitutione acceſſere. Pietatis namque erga Deum, Iuſtitięque erga homines, vna cum humanarũ literarum fundamentis, ab ineunte ętate in eius animo iactis uirtutes omnes,

moreſque

moresque ingenui in Regia indole ſenſim adoleuere. Verum enimuero cum non
minus militaribus, quàm ciuilibus virtutibus, ſummum Regem prēditum eſſe
oporteat, vt vtroque tempore bellorum & pacis, cum exercitibus, tum popu-
lis prodignitate præeſſe, armiſque & legibus fines ſuos regere & tueri queat
eò acrius rei militari incubuit, quò ad Regnum vocabatur Africanis armis
infeſtari ſolitum. Itaque in armorum, equorumque vſu, omnique pedeſtris,
equeſtriſque militiæ genere liberaliter primùm inſtructus, quinto decimo ſuæ
ætatis anno Regni gubernacula ſuſcepit. Quo tempore ita ſe ad grauitatem,
Conſtantiam, Liberalitatem, Clementiam, cęteraſque Regias virtutes compo-
ſuit, ut ſumma in admiratione apud omnes fuerit. Quia verò Principum con-
tinentia, quæ viam ad Temperantiam, aditumque in cælum parat, ciuium lu-
xum corrigi, & emendari, multitudinisque animos conciliari facilè intelligē
bat, ita voluptates aſpernatus fuit, vt & verbis & factis omni libidinis cri-
mine & ſuſpitione perpetuo caruerit. Taceo cæteras ciuiles virtutes, quæ
ex puriſſimis Religionis & Temperantiæ fontibus, perenni quodā ex curſu in
Regis animum deriuabant. Duo tamen ſingularis Modeſtiæ & Prudentiæ
exempla præterire hoc loco nequeo: Vnū quòd nouis, ambitioſiſque titulis non
ſolum delectatus nō fuerit, ſed eos ultro. delatos planè recuſauerit. Alterum,
quòd vel primo ipſo Regni ingreſſu, in eorum qui magiſtratum gerebant, ac in
priuatorum vitas ſeuerè inquiri & animaduerti iuſſerit, ut & exemplis ocu-
los ciuium, & legibus animos ad bene, ſanctèque viuendum ſimul & compone
ret, & compelleret. His igitur tam illuſtribus optimi Regis indicijs, Regno ſtā
tim inito datis videamus, quemadmodum conſilia, actiones, exitus tam præ-
claris cœptis toto vitæ curſu reſponderint. Si omnem ſuſceptæ ab eo vitæ ra-
tionem, reſque varijs temporibus geſtas ſpectauerimus, tres excelſo, vereque
Regio animo dignas infixas, inſculptasque menti curas habuiſſe, in quas om
nes ſuas cogitationes intenderet, facilè conijciemus. Vt ſcilicet in Regno ſatis
iam opibus & commercijs celebri, bonarum artium & literarum ſtudia am-
plificarentur, vt militaris diſciplina floreret, ac tandem, vt eius opera & ſtu-
dio Chriſtiana Religio per uniuerſum terrarum orbem, longe, lateque diffuſa
permanaret. Prioris quidem inſtituti teſtes ſunt varię Academię in orientali
bus indijs pereunmerectę. Teſtis eſt Colymbricenſis uniuerſitas varijs mune-
ribus ab eo aucta & adonata, Artiū Collegium ab Auo inſtitutum, ac per eū
inſtauratum, nouumque in Medicinę ſtudioſorum gratiam in eadem Acade-
mia inſtitutum. Sed & militaris diſciplinę, quę olim apud Luſitanos flore-
bat, reſtituendę tanto ſtudio tenebatur, ut ferijs quibuſcumque milites ſuos in
Regia Olyſipouæ urbe non tanquam è ſpecula Rex, ſed veluti in agmine Dux,
vel potius priuatus miles in pedeſtri, equeſtrique pugna exerceret. Incitaba-
tur autem vehementius ad militaris diſciplinę ſtudia in populis retinenda ex
Luſitanorum uirtute, rebuſque fortiter in India geſtis, pręſertim uero ex ce-

lebri ea

lebrica uictoria, quam aduerſus Cambaiæ Regem perduellionis reum per Ludouicum Tardium Comitem eodem anno, quo Turcæ apud Naupactum fœlici numine cæſi & profligati à noſtris fuere, obtinuit. In qua quadraginta ferè Indorum millibus cæſis, idem Cambaiæ Rex in deditionem uenire coactus fuit. Chriſtianæ verò religionis amplificandæ amore adeo flagrabat; vt Iaponenſem Regem in India clarum, fœdus cum eo facere cupientem non antea in ſocietatem admiſſerit, quàm eum ad Chriſtianæ fidei concionatores in Regnum recipiendos iureiurando adſtringeret. Omitto Ieſuitarum Monachorumque collegia in indijs ad Dei cultum introducta, & propero ad infœlicis patrati proximè belli conſilia. Cum ad bellum contra Mauritanos gerendum eximiæ cuiuſdam pietatis, animique magnitudinis ſtimulis aſſiduè concitaretur, ſuperioribus annis, vt hominum Luſitanis littoribus infenſiſſimorum loca, vires, regionēque exploraret, cum exercitu in Aphricam traiecerat. Inſitum illi hoc bellandi deſiderium cum Muleij Ametus Feſſæ, & Marrocchi Rex ex eius in Aphricam traiectu ijs ferè temporibus intellexiſſet, à Malucco fratre Regno pulſus, Oratoribus ad Sebaſtianum miſſis, eum expulſionis ſuæ uindicem conſtituit, maxima auxilia, commeatuſque, ſi in Aphricam exercitum mitteret, ultro citroque pollicitus. Rex generoſa pietate, iuſtique belligerendi cupiditate inflammatus, poſthabitis illorum conſilijs, qui eum à bello periculoſiſſimo auertere conabantur, non modo exercitum in Aphricam mittendum, ſed et ſibi eò proficiſcendum exiſtimauit. omnem eius conatum irritum & inanem euaſurum exiſtimans, niſi ipſe eo contendens, commune cum ſuis periculum ſubiret. Quò demum profectus, triumque iam dierum itinere ad hoſtes luſtrandos progreſſus, Maluccum obuium habuit, equitum, peditumque copijs longe ſuperiorem. Quod cum Sebaſtianus intelligeret, Ducibus ad ſe vocatis, conſilium cæpit, an ſeſe paulatim cum exercitu reciperet, an verò quamuis inæquali conditione cum hoſtibus dimicaret. Præualuit eorum opinio, qui fauente vndique militum acclamatione pugnandum omnino eſſe contenderent. Nam quanquam barbari numero multo eſſent ſuperiores, Luſitani tamen bellica virtute, Pietate, cauſæque Iuſtitia freti, ſuique Regis præſentia animati, certam ſibi victoriam, diuino fauente numine, polliceri ſibi poſſe videbantur. Nuntiabatur præterea niſi ſtatim prælio decertaretur, maiores copias Malucco ſuppetias laturas. Qua propter Rex magno, impertitoque animo, alacrique ſuorum manu Maluccum inuadit. Magna tum victoriæ ſpe, maxima hoſtium adita ſtrage, Luſitanis ſæpius certamen redintegrantibus pugnatum eſt: Maluccus occiſus, omneſque eius copiæ diſiectæ, ac paulo minus profligatæ. At verò in ipſius ferè victoriæ ad Sebaſtianum Regem inclinatione, ac penè adeptione nouus peditum, equitumque exercitus, qui audita prælij occaſione, Malucco in auxilium uenire feſtinabat, noſtris inauſpicatus ſuperuenit. Sebaſtianus uictoria iam degustata, deſpectis eorum

conſilijs,

conſilijs, quæ de fuga proponebant, nouum prælium aduerſus nouos hoſtes inſtaurat, tanta animorum contentione quanta uix animo concipi queat. Atqui eo iam ſancio, militibuſque diuturna pugna defeſſis, obruente vndique Luſitanorum virtutem barbarorum multitudine, Rex equo cui inſidebat, confoſſo, pedes pugnare coactus fuit. Qui tandem conferta hoſtium manu circumleptus, dum acerrimè dimicaret, acclamante hoſtium vno, vt à Rege, quem agnouerat, manus abſtinerent, neve occiderent, propriam ſalutem amiſſo exercitu, ſeruitute redimere indignatus, illum inflicto vulnere in ſe concitauit, pugnanſque occumbere maluit, quàm victoria irepta, ſuperſtitē viuere, ab hoſtibuſque captiuum ducto non minus prœclaram & generoſam, quam acerbam & immaturam fortiſſimi Regis mortem, eoque grauiorem, quo non vno tantum caſu, quod Rege cæſo euenire pareſt, perculſa Luſitania fuit, ſed & fidiſſima Regi, ac lectiſſima iuuenum atque Ephæborum manus, quadringenti ex ipſo Principum, Procerum, nobiliumque ordine eo prælio deſiderati feruntur. Quos tamen, tanto Duce, vna cum pijſſimo exercitu, ad cæleſtem militiam translatos Dei opt. max. benignitate ſperamus. At verò mihi ob oculos, eo nuntio accepto obuerſantur, Sereniſſimi HENRICI patrui, ſenis illius uenerandi in tam miſeris luctuoſis temporibus ad Regnum vocati lachrimæ, Olijſiponæ Regiæ vrbis, lugubris, funeſtaque facies, curia derelicta, ſenatus ſqualidus, forum mutum, templa luctuoſa, ciues languentibus animis, veſtibuſque atrati. Videor mihi eo tempore audiſſe nobiliſſimarum ex toto Luſitaniæ regno matronarum, ac virginum eiulatus, & gemitus, quarum aliæ viris, liberis aliæ, aliæ parentibus, aliæ fratribus, aliæ ijs ſimul omnibus orbatæ ex tanta clade fuere, quā nulla vnquam acerbior, nulla calamitoſior Luſitanis contingere potuit. Lugendum itaque merito tibi eſt Eman. Philiberte, ex intimiſque animi ſenſibus dolendum, non hoc ſolum nomine, quòd eum Regem amiſeris, cum quo magna tibi priſtinæ cognationis quartùm iam repetita neceſſitudo intercederet, ſed etiam quod is Rex ſublatus fuerit, a quo non ipſum modo Luſitaniæ Regnum, ſed & vniuerſa Chriſtiana Reſp. maxima quæque incrementa acceptura ſperabatur. Duo tamen nobis ſuperſunt tantæ iacturæ ſolamina, quorum unum ex præſentis Regis perſona, alterum ex Regis vita functi fœlicitate metimur. Ac vt de priori dicam, communem hunc tuum cum Luſitanis populis, omnibuſque Chriſtianis Principibus dolorem lenire maximè debet HENRICI Card. ſapientiſſimi Auunculi tui in Regno ſucceſſio. In quo vt Regij ſanguinis reliquię collectę ſunt: ita Regias omnes virtutes longo rerum vſu confirmatas, ac veluti per manus a maioribus acceptas intueri licet. De cuius erga te, Sereniſsimum què Principem filium tuum, quid quęſo eſt, quod tibi non poſsis et debeas iure optimo polliceri? Cæterum quòd ad mortui Regis fœlicitatem pertinet, ſi eximium Pietatis ſtudium, ſi Iuſtitia, Temperantia, Modeſtia.

Manſuetudo,

Manſuetudo, Clementia, ſi fides, probitas integritas, ſi denique ante actæ vitę innocentia, tam generoſa, piaque mortis exitu confirmata, beatę in alio ſeculo vitæ certam ſpem afferunt, non modo illi dolendum non eſt; ſed potius ſummopere lętandum, quod mortalis huius uitę curſu ſanctè, honorificeque confecto, perpetuaque ſui memoria & deſiderio in terris relicto, glorioſa nunc martyrum palma in cęlis beatiſsimus perfruatur. D I X I.